

Q.K.  
427.  
10.

762.



FRANCISCI LAMBERTI

AVENIONENSIS THEOLOGI

RATIONES / PROPTER

quas Minoritarum conuersatio /

nem habitumq; reiecit,



R

Franciscus Lambertus Auenionensis/  
inutilis Iesu Christi seruus  
pio lectori/Christi  
gratiam & pa/  
cem.

**Q**uoniā i Minoritarū (quos obseruātes titulo  
prorsus non Christiano appellant) olim fui  
conuersationē receptus, atq; in eorum habitu, annis  
plurimis, verbum Domini i diuersis regionibus &  
prouinciis declamaui, nouissime autem compulsus,  
eorum & conuictum & habitum dereliqui, necel-  
sum fuit, vt cunctis palam facerem, quę fuerit causa  
mei egress⁹ factiq; mei apertam redderem rationē,  
Alioqui pusilli & simplices scandalizarētur, nisi in-  
telligent me, id quod feci secundum Christum fa-  
cere potuisse. Huius rei gratia libellos duos edidi.  
Primū habes, quo nōnullas & vere ex compluribus  
paucas dicti mei egressus causas posui. Reliquus  
ppediē emittetur quo, quid de minoritar⁹ regula  
sentiendum sit aperte cognosces. Hos  
dum legeris si Christianus es, nō  
tantū non scandalizaberis sed  
& mecum senties me ab illis  
necessario fuisse eges-  
sum. Vale. Gra/  
tia Christi  
tecum,



**A** Pud Auenionē inclitā Galliarū vrbē, me tenello ad hue  
puero existente, patre defuncto, & Christi spiritu animū  
pueri ad meliora solicitante, occurrit, externus ille Mino  
ritarum (quos Observantes vocant) splendor, multam sanctitas  
speciem habens, quos tales fore interne puerili estimatione  
sentiebam, Admirabar in illis regumentorum decentiā, vultus  
demissos, oculorum inclinationem, suauissima fīcte pietatis elo-  
quia, pedes nudos, sandalij calepodij sue vrentes. Laudabā in  
in eis gestuum grauitatem, incessuum maturum, brachia compli-  
cata, exquisitos & eosdem expolitos prēdicandi gestus, & similia  
queç. At ignorabam lupinum illud vulpinumq; pectus, sub  
vestimentis ouium latens.

Sane, ad id me q̄ maxie puocabāt, qui in publicis cōcionis-  
b⁹ hæc Christo acceptissima p̄dicabāt, & mihi ad partē euocato-  
plurima de claustrī fructu, ac cellę quiete, deq; studiorū oportu-  
nitate, & similibus plurima egregie menciebantur. Quę autem  
reuelare oportuerat, diligentissime occultabant. His me aut̄ sti-  
mulis agitato, anno etatis meę i. s. Auenione fui ad eorū habi-  
tum, conuictumq; receptus, deceptus pfecto vehementissime.  
Verum deus, alto suo consilio, voluit me ab humano decipi, ut  
probarem quid rei esset, quod tā sublime propria sententia vi-  
debatur. Nihil quoq; dubitauerim, me inter eos fuisse deo pro-  
vidente receptum, quodq; me ab externis illorū faciebus seduci  
voluerit, donec veritate cognita egrederer, cunctisq; palā face-  
rem, quę sub sepulchris istis dealbatis spurcitię latitarent.

Probationis igitur anno, ne a sumpto pposito dimouerer,  
quę apud eos impia erant, mihi diligentissime abscondebantur.  
Hanc quippe habent consuetudinem, q; secreta sua. i. impietas  
nouicij occultant, Quandoquidē certi sunt, q; nullus vñq;  
vellet apud eos, ad professionem recipi, si quę apud eos latent,  
nouicij fierent manifesta. Dicūtq; impij homines, q; si quispiā,  
vel minimum quiddā admiserit, vnde illi ansam suscipiant, ab  
eorum congregatiōne abeundi, crimen inexpiable sit. Verum  
si semel professionē emiserint, nihil est q; amplius eorū scandala  
timeant. Hinc palam fit, q; Christū potius q; sectam suam deser-  
ti volunt. Dum enim timent magis scandalizare nouicios, ne  
ab ipsis discedant, q; professos, ne a Christo separētur, qd aliud  
faciunt, q; quod seipso magis timent deserī q; Christum?

Completo dehinc probationis tempore, tantū annos sec-  
decim, & menses aliquot natus, professionē emisi, penitus quid  
facerem nesciēs. Mox internis eorū mihi patefactis, animaduer-  
**A. q.**

multū inter interna externa referre. Et quo magis me confusū ab omni mea expectatione cōspiciebā, eo magis tristis, adflict, languidusq; viuebam. Non poterā tam diu concupitā mentis nancisci quietem. Cōtristabar ideo in exercitatione mea, & cōtur babar ab impiorum tribulatione. Vocatus demū ad salutare verbi ministerium, quantum me non pro illorum voto p̄dicantem discrutarint satis referre nō possem. Audiebāt populi verbum Dei, illudq; audissime suscipiebāt, soli aut illi, sicut aspides surde & obturantes aures suas, non exaudiebant vocem altissimi. Aiebant omnifarie ut & adulator & verbi Sancti adulter essem, quibus non dissentire non poteram.

Post multos deniq; annos, electus ad vniuersaliter nuntiandum Christi Euāgeliū, factusq; Apostolicus (vt vocāt) p̄dicator. Pr̄ter Crucē illi<sup>9</sup> laboriosissimi ministerij, erant mihi illi cōtinua & eadem intolerabilis crux. Apostolicis aut p̄dicatoribus, impositū est, vt Apostolor̄ more per orbem pfiscant, sempq; oblata sibi oportunitate Euāgelizeant. Hęc dum immensis cum laboribus pro mea virili implerem, quęcumq; Dominus p̄ me operari dignabatur, calumnijs fucatissimis impugnare moliebā tur. Quos dum videren nimio liuore torqueri, nolui ut multis facultatibus, mihi pro ministerij mei necessitate concessis. At nec sic a Christi pauperis diuexatione cessabant.

Fatigatus sepe aliquā mensium p̄dicatione cōtinua, dum in cenobia regrediebar, confessim ab impījs veritatis hostibus, mihi pro bonis mala retribuebātur. Maledicētię, iniurię, cōuicia, ordinaria ciborū meorum condimenta erant. Corporeq; deinde imbecillitatis causa, dum ad Christi Euāgelium nuntiandum, pedester nequirē profiscisci, vel hoc medio, a ministerio sancto, me impedire nitebātur. Quandoq; vero ingenti & dolo & rapacitate asinōs mei gratia ab amicis meis cōparari pmiserunt, q̄s post dies aliquot vendebāt, aut ceteris p̄ sua volūtate tradebāt.

Cum ante annos 4 apud quandam Gallię ciuitatē euangelizassem, & populi resipiscentes, laruas, taxillos, cartulas & similia pleraq; ad p̄paratum incendium pariter ferrent, quidam ex veritatis hostibus p̄dictis, ex eis nō nulla furtive sustulerunt, laruum pr̄cipue similē puellę lasciuenti. Quos dum p̄ hac refusi arguerem, aduersum me pariter coniurarunt, tractantes quibus medijs id fieri posset, vt a sancto ministerio efficeret alien⁹. Nihil pro hac re neglexerunt, mendacia, falsaç; testimonia ex cogitarū, quę verūtamen mihi nota facere ausi sunt numq;. Verum dissipauit Domin⁹ cōsilium Achitophel, vt hac de re nec cōcionem quidem vnam vncī dīmiserim.

Insurrexit aliquando aduersum me quidam Bullar<sup>z</sup> Antic-  
christianarū improbus assertor, in quem sic Christi spiritu diri-  
gente processi, ut a presidibus vrbis in qua hęc agebantur dāna-  
retur, quod factū impij illi homines condemnarūt.

Perueniens aliquādo ī domos eorū qui Minoritashospis-  
tantur, vbi mihi notū fuit eos esse publicos scortatores aut vſu-  
rarios aut raptōres, secreto illis salutis cōſilia dedi. Quod illi, vt  
rem summe illicitam condemnabant. Dicebāt enim (vt anima-  
lia ventris sunt) forsitan amodo non hospitabitur & reficiet nos,  
magis (vt vides) uimenes cenam vnam perdere, q̄ animarum  
hospitūm damnationē. Nam et si nullū viderim, qui fuerit mi-  
nus ad hospitalitatem procluior.

Cardinalis quidam, Romani episcopī a latere (vt vocat)  
Legatus, voluit vt die quodam Christi verbum enuntiarem.  
Mox emulorum meorū surrexit inuidia, duorum precipue se-  
niorum, a quib⁹ iniquitas est egressa. Horum unus Guardian⁹  
erat, qui die statuto adueniente, imo p̄xima euangelizādi hora  
insaniens, ad Cardinalis cucurrīt palaciū, factusq; impius men-  
dax, me egrotū fore confinxit. Expauescēbāthi Babilonici senes  
ne forsan non satis Cardinali & Magistatibus adularer. Dumq;  
predicū Guardianū admonerē carceres & tormenta cōminabat.  
Is postmodū minister Prouincie factus, pristinę malignitatis nō  
immemor, aduersum meas, velit nolit, pias & veras conciones,  
quędam scripsit. Vnde timens aliquando in eorum quandoq;  
manus incidere, & per oīa inutilisfieri, eorū cōuerstationē p̄posui  
derelinquere, & fieri Cartusianus. Timebam enim, ad cōmunem  
hominum redire cōuerstationē, ne vniuersis regionib⁹, quib⁹  
Christi verbū p̄dicaueram, scādalo forem. Dicebam quoq;  
Si nō possum dei eloquia populis in pace nunciare, saltem libel-  
lis quos potero edocebo. Sed vere Satanę illusio fuit, quādoqui  
dem nec isti scripta mea sustinuissent.

Minoritis demum me perturbantibus non potui ad Car-  
tusianorum habitum recipi, quamuis mesusceperint ad osculū  
pacis (vt loquitur) Perturbatus ergo a Cartusianis, Minoritis tūc  
mihi adulantibus, redij ad ministerū meum. At mox redeunte  
verbo, grauis quoq; redij persecutio.

Hi libros vere Euāgelicos, Theologi Christianissimi Mar-  
tini Lutheri, quos habebam abstulerunt, sigillaruntq; quos in  
p̄uinciae Capitulo non inspectos, & vix a limine salutaros, con-  
demnarunt, & combusserunt saltem illos legere oportuerat, Cla-  
mabant tātum, hereticisunt, heretici sunt. Sici iudicant & condē-

A. ij

nant, quod penitus ignorantē. go confidenter loquar, credēs in  
Domino q̄ verum sit, q̄ plus syncerioris theologie in libris pre-  
dictis continetur, q̄ in omnibus scriptis oīm monachorū, qui a  
principio fuerunt. Da veniam lector optime, q̄ te horum phari-  
seorum insanijs tamdiu occuparim, qui vt breui cōcludā mihi  
pro dei veritate zelanti, tam grauia intulerunt, inferuntq; adhuc  
Omnibus, qui paris sententię sunt, q̄ nec plurimis libris possent  
vniuersa conscribi.

Hi sunt, qui se obseruantes esse supercilioso titulo iactitāt.  
Christus Lucæ. 17. dicit. Cum feceritis omnia q̄ præcepta sunt  
vobis, dicite serui inutiles sumus. Illi vero, vt vel ipso etiam no-  
mine, eos sancti verbi contemptores esse scias, dicūt, Obseruā-  
tes sumus, vniuersos dehinc monachorū stat⁹, in suam isti traxe-  
runt sententiam, vt ex omnibus iam inueniātur, qui obseruātes  
velint appellari. Nullus profecto Ecclesiæ Christi magis nocuit  
vnq; hominibus istis obseruantię titulo glorioſis.

Verum quid sincere obseruationis in eis esse potest, qui  
nec regulam quidem suam intelligunt, necq; intelligere volunt.  
Scio enim quantum me afflixerint, de eadem varia ſepe numero  
aut declarantem, aut colloquentem, quandoquidem illius  
zelotes plus cquo aliquando fui, acerquæ nimium in eiusdem  
transgressiones, sed nondum reſeratum erat sepulchrū domini  
gloriosum, nec ablatus humanorū operum ac carnis sapientiæ  
lapis, a pclaro Euangeliū monumēto, quo amabilis dei eloquio  
rum veritas contegebatur.

Heu quantum fui seductus. At quem non seduxerunt isti  
obseruationis sacri Euangeliū acerrimi hostes. Non sustinebant  
dei eloquia pronunciantem, pſequabantur pro regulę obseruatio-  
ne zelantem, Quid ergo feciſsem cum imp̄js istis.

Acceptis igitur commissionis (vt vocant) literis ad ordinis  
Generalem, aut Vice generalem, a Gallijs veni in Germaniam,  
vbi oportunitate accepera, pharisaicum illud tegumentum reieci,  
sciens q̄ nihil faciat ad Christianismū, sic vel sic, hoc vel illo co-  
lore vestiri. Testificor autem coram Domino, q̄ nunq; eos reli-  
quissem, si salua veritatis Euangelicę libertate, apud eos manere  
potuisssem, sed cum eandem neuti q̄ sustinent, me ab illis egredi  
necessarium fuit. Feceram primū contra illud Pauli. i. Chorin. 7,  
Præcio empti estis, nolite fieri serui hominum. Hi fiunt serui  
hominum, qui eorum stultis constitutionibus alligantur. Qui  
ergo deceptus me seruum feceram hominū, quid agere debui,  
nisi vt obseruarem eiusdem consiliū, quod vbi supra ſcripsit. Si

potes fieri liber, magis utere. Segregatus igitur a malignan-  
tium conuenticulis, veni ad illam vere suprenam orbis Academiam VVittenbergen, in qua nihil quod ad sacras, bonasq; literas pertineat, desideratur. Cum et aenam illic traduntur abunde  
Doleo me factum esse quasi mutum, q; non possim viuo vocis  
actu verbum Domini populis nunciare, verum expectabo qd  
mihi imperet Domin⁹, et sustinebo manum eius. Interim vero  
quantū potero nitar, vt vel saltem scriptis, tam latinis q; vulga-  
ribus, cunctos ad Euangeli⁹ synceritatem admoneam.

Habes lector, ex compluribus admodum pauca, quę anis-  
mum meum admonuerunt, vt a Minoritis se iungerer, sed mihi  
sufficiat, nūc vel breuiter mei egressus rationē ostēdisse. Hoc to-  
tius negoti⁹ tātum praeludium erit. Habebis post dies aliquot,  
nostros in eorum regulam cōmentarios, in quibus paulo ma-  
nifestius rem omnem intelliges. Tandem vt sciant omnes,  
quid propositi mei atq; sententię sit, hæc tria paucis accipient.

Primum. Quia olim seductus, & quid agerem penitus  
ignorans, votum emisi, a professione Christiana plurimum dis-  
sentiens, omnibus Minoritarum inuentis abrenuntio. Sanctum  
Euangelium, & meam & omnium Christianorum regulam  
necessariam esse cognoscēs.

Secundum. Reuoco, quicquid aliquando vñilibet ter-  
rarum predicaui, Sacri Euangeli⁹ simplicitati nō per omnia cō-  
sentiens. Obscro autem omnes qui me aliquando pr̄dicantem  
audierūt, aut scripta mea legerūt, vt omnia reñciant, quę veris-  
tati nunc reuelatae minime conueniunt. Verum confido in eum  
qui me a captiuitate plusq; Aegiptiaca eduxit, q; illius auxilio  
tractatibus & libellis, vniuersa errata mea reparabo abunde.

Tercium. Quia nullus potest ad veritatis cognitionem  
pertingere, nisi a Papa Antichristo dissenserit, ideo illi & omnib⁹  
Decretis illius abrenuntio, nolens sui regni apostatici particeps  
esse, sed volens ab illo perpetuo esse excommunicatus, cum sciam  
idem regnum esse a deo excommunicatum & maledictum. At  
de his paulo pluscula alio libro tractabimus ad gloriam Do-  
mini Nostri Ihesu Christi, cui sit Honor & Gloria in secula  
seculorum. A M E N

AK 112189

X2242 193

# Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
Centimetres  
Inches

LAMBERTI  
IS THEOLOGI  
PROPTER  
m conuersatio/  
mc̄ reiecit,

